

Alba Longa est urbs. Rēx urbis est Numitor. Numitor est nepōs Silvī. Numitor duōs filiōs et ūnam filiam habet. Filiī et filia Numitōrem amant. Numitor quoque frātre[m] habet. Frāter, nōmine Amūlius, Numitōrem nōn amat. Amūlius rēx fierī vult.

Quōdam diē, Amūlius et amīcī cogunt Numitōrem ab Albā Longā discedere et filiōs eius interficiunt. Filiam nōn interficiunt, sed cogunt eam fierī Vestālem. Nōn licet Vestālibus habēre liberōs. Iam Amūlius est rēx.

Fīlia Numitōris, nōmine Rhea Silvia, est Vestālis. Rhea Silvia est bona Vestālis, sed, quādam nocte, deus Mārs ad eam in somniō venit. Mārs eī inquit, “Duō filiī tibi nātī erunt. Nōmina erunt Rōmulus et Rēmus.” Post multōs mensēs, filiī quīdem sunt nātī.

Amūlius invenit filiōs et iubet puerōs morī. Itaque vir ponit Rōmulum et Remum in canistrō et ponit canistrum in flūmen Tiberim.

Canistrum diū in flūmine est. Tandem flūmen puerōs ad terram fert. Hominēs nōn adsunt. Subitō lupa ad puerōs ambulat. Lupa est misera. Lupa filiōs habēbat, sed mortuī sunt. Lupa puerōs nōn edit, sed eōs nūtrit. Mox pāstor, nōmine Faustulus, puerōs videt et domum fert.

Rōmulus et Remus nōn iam sunt puerī. Rōmulus et Remus sunt pastōrēs et habent multōs amīcōs, quoque pastōrēs. Quōdam diē, Rōmulus et Remus cum amīcīs ambulant et subitō latrōnēs vident. Rōmulus et Remus latrōnēs pugnant et eōs discedere cogunt. Sed mox latrōnēs reveniunt et oppugnant. Rōmulus sē servat, sed latrōnēs Remum capiunt! Latrōnēs Remum ad domum vicīnam dūcunt. Latrōnēs inquirunt, “Hic vir est latrō. Captus est in terrā tuā.”

Vir quī domī habitat est Numitor. Numitor rogat Remum dē eō. Mox invenit Remum esse nepotem suum! Iam Rōmulus ā Faustulō quoque dē parentibus invenit. Rōmulus cum pastōribus Albam Longam oppugnat. Simul, Remus cum amīcīs Numitōris quoque Albam Longam oppugnat. Rōmulus et Remus urbem capiunt et Amūlium interficiunt!